

similiter honorificabiliter præparatis, convocarentur. Qui cum separati a cæteris essent, in eorum manebat potestate, quando simul vel quando separati residerent, prout eos tractandæ causæ qualitas docebat, sive de spiritualibus, sive de sæcularibus, seu etiam commistis. Similiter, si propter quamlibet vescendi vel investigandi causam quemcunque convocare voluissent, et re comperita discederet, in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, quæ eis a rege ad tractandum proponebantur.

CAP. XXXVI. Secunda autem ratio regis erat interrogatio quid unusquisque ex illa parte regni, qua veniebat, dignum relatu, vel retractatu secum afferret, quia et hoc eis non solum permissum, verum etiam arctius commissum erat, ut hoc unusquisque studiosissime, usque dum reverteretur, tam infra, quam extra regnum perquireret, si quid tale non solum a propriis vel extraneis, verum etiam sicut ab amicis, ita et ab inimicis investigaret, intermissa interim, nec magnopere unde sciret investigata persona. Si populus in qualibet regni parte, regione, seu angulo turbatus, quæ causaurbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inæquale resonaret, unde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, et cætera his similia. Extra vero, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, si necdum tacta insidias regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his vero

A omnibus, quæcumque cuilibet periculo imminerent, illud præcipue quærebatur, cujus rei occasione talia vel talia orientur.

CAP. XXXVII. Post illa, quæ in synodo apud martyrium sanctæ Macræ de majorum constitutionibus collecta, et regi Ludovico nuper defuncto fuere directa, hæc de ordine palatii et dispositione regni, vobis ad institutionem istius regis nostri ac ministrorum ejus regni que provisorum, sicut scriptis et verbis seniorum didici, et ipse adhuc in adolescentia mea vidi, devoto jussioni vestræ obediens obtuli. Personas autem hominum, et mores ac qualitates illorum, per quos si aliqua sunt collapsa restituantur, vestra solertia providebit, quoniam de his, quos tempore domni Ludovici imperatis vidi palatii procuratores et regni præfectos, neminem scio esse superstitem: scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi vero procurent, ut non sint moribus ac virtute, atque pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia et studiis bonis degeneres: quatenus merito patrum loca et officia suppleant, et se in ipsa suppletionem caute custodiant, ne, ut sanctus Gregorius dicit, in culmine honoris positi usu gloriæ permutentur, sicut Saul, qui prius in electione honoris exstitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem tumoris.

X.

AD EPISCOPOS REGNI

ADMONITIO ALTERA

Pro Carolomanno rege apud Sparnacum facta.

(Apud eundem ex eodem).

HINCARIUS, episcopus ac plebis Dei famulus.

CAP. I. Doctrina est Christiana, secundum sanctorum Scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, qua Deo ac Domino nostro Jesu Christo conditore et redemptore nostro, qui simul solus rex et sacerdos fieri potuit, in cujus nomine omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, et infernorum, disponente, sicut beatus Gelasius papa ad Anastasium imperatorem dicit (*epist.* 10), et in gestis quæ nuper apud martyrium sanctæ Macræ in synodo gesta sunt partim continetur, duo sunt, quibus principaliter, una cum specialiter cujuscumque curæ subjectis, mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas: in quibus personis, sicut ordine sunt divisa vocabula, ita sunt et divisa in unoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Quamvis enim membra veri regis atque pontificis secundum participationem naturæ, magnifice utrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, ut simul regale

C genus et sacerdotale subsistant, memor tamen Christus fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magna temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis utriusque discrevit, suus volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus (ut ante adventum ejus in carnem pagani imperatores, qui iidem et maximi pontifices dicebantur), intercipi, ut et Christiani reges pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus uterentur: quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis sæcularibus implicaret (*II Tim.* 11), ac vicissim non ille rebus divinis præsidere videretur qui esset negotiis sæcularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.

CAP. II. Sed tanto gravius pondus est sacerdotum quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem : et tanto est dignitas pontificum major quam regum, quia reges in culmen regum sacrantur a pontificibus, pontifices autem a regibus consecrari non possunt : et tanto in humanis rebus regum cura est propensior quam sacerdotum, quanto pro honore et defensione et quiete sanctæ Ecclesiæ, ac rectorum et ministrorum ipsius, et leges promulgando, ac militando, a Rege regum est eis cūræ onus impositum.

CAP. III. Diligenter igitur quisque debet in ordine et professione sua quo nomine censetur attendere, et majorem in modum providere, ne a nomine discordet officio. Quia, sicut legimus in sacra historia, Ozias rex præsumens incensum ponere, quod non regii, sed sacerdotalis erat ministerii, lepra est a Deo percussus, et de templo a sacerdotibus ejectus, et in domo sua est usque ad mortem reclusus (IV Reg. xx ; II Par xxvi). Et sanctus Cyprianus in decimo gradu Abusionum, per quem sæculi rota, si in illo fuerit, decipitur, et ad tartari tenebras nullo impediendo justitiæ suffragio, per justum Dei iudicium rotatur, de negligente episcopo dicit (cap. 10) : « Si fuerit episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur : quoniam cum episcopus Græcum nomen sit, *speculator* interpretatur. Quare vero *speculator* ponitur, et quid a *speculatore* requiratur, Dominus ipse denudat, cum sub Ezechielis prophetæ persona episcopo officii sui rationem denuntiat, ita inquit : *Speculatorem dedi te domui Israel* (Ezech. iii), » et reliqua, quæ non perfunctorie neque raro legere et meditari debemus qui vocamur hoc nomine.

CAP. IV. In Veteri Testamento (I Par. xxiv) David rex simul et propheta, præfigurans Dominum nostrum Jesum Christum, qui, ut præmisimus, solus rex simul et sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus ordines constituit, in summis videlicet pontificibus, et in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio : ea videlicet provisione, ut dum quolibet pontificum vita decederet, quicumque sacerdotum optimus putaretur, ei in pontificatum succederet. Et in Novo Testamento (Luc. vi et x) Dominus noster Jesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Evangelio legimus, duodecim elegit, quos et apostolos nominavit. Horum in Ecclesia locum tenent episcopi, sicut sanctus Gregorius, et cæteri catholici doctores ostendunt. Designavit etiam et alios septuaginta duos, quia ut duodecim apostolos formam episcoporum exhibere simul et præmonstrare nemo est qui dubitet, sic et hos septuaginta duos figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum gessisse sciendum est : tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut apostolica Scriptura testis est (Philip. i ; Tit. i ;

A I Tim. iii ; Act. xx), utrique presbyteri, utrique vocabantur episcopi, quorum uni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ pastoralis significant, quorum licet in quibusdam sint discreta officia dignitatom, uno nomine sacræ regulæ comprehendunt. « Nulli, inquit (Cœlest. ep. 2 ad episc. per Apul. et Cal.), sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare, » quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quam in ipsius Domini injuriam prosilitur, id est, non minus schismatici in sanctarum traditionum sanctiones delinquentes, quam heretici a recta fide discedentes, donec convertantur, et unitati sanctæ Ecclesiæ incorporantur, ab eadem Ecclesia sunt separandi. In episcopis enim, ut beatus dicit Ambrosius, omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est princeps sacerdotum, et propheta, et evangelista, et cæterorum ministrorum in se officia continens ad implenda ea in ministerio fidelium.

CAP. V. Qualiter autem consensu principis terræ, qui res ecclesiasticas divino iudicio ad tuendas et defendendas suscepit, electione cleri ac plebis quisque ad ecclesiasticum regimen absque ulla venalitate provehi debeat, et Dominus in Evangelio, et sacri canones aperte demonstrant dicente Domino : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (Joan. x). Quales autem ad episcopatum debeant promoveri, apostolica et canonica decernit auctoritas (II Tim. iii). Unde principi terræ magnopere providendum atque cavendum est ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, et cæteri ab offensione salvari. Nullius enim rei intuitu eligendus est episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere præsentis vel futuræ sub spe retributionis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel servitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut divinæ auctoritati : sicut et de presbyteris, sicut sacra demonstrat auctoritas (Joan. ii ; Act. viii).

CAP. VI. Qualiter autem ordinati ministros sibi suppositos regere debeant, sacri canones et decreta sedis Romanæ pontificum, sed et sextus decimus liber Legum, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, patenter ostendunt. Quam pura etiam intentione sacros ecclesiasticos ordines debeant dispensare, beatus Gregorius in homilia Evangelii, *Misit Jesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis et dicens : In viam gentium ne abieritis*, et in homilia Evangelii, *Designavit Dominus et alios septuaginta duos* ; et in homilia Evangelii, *Vidit Jesus civitatem, et flevit super illam*, aperte ostendit. Qua vero discretionem ligare vel solvere debeant subditos, in homilia Evangelii, *Cum sero factum esset una Sabbatorum*, luculenter demonstrat (hom. 4, 17, 39, 26). Qualiter autem quisque ad culmen regiminis videlicet episcopatus veniat, atque ad hoc recte

perveniens qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat, et recte docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, beatus Gregorius in Pastoralis regula sufficienter et eloquentissime docet.

CAP. VII. Qualis denique rex debeat esse, beatus Cyprianus in nono Abusionis gradu demonstrat docens (cap. 9) : « Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam in justitia regis exaltatur solium, et in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est, neminem injuste per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum et proximum suum juste judicare : advenis, et pupillis, et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et perjurantes vivere non sinere. Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum et hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non elevare, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. *Væ enim terræ, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt* (Eccle. x, 16). Hæc regni prosperitatem in præsentia faciunt, et regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non secundum hanc legem dispensat, multas nimirum adversitates imperii tolerabit. Idcirco enim pax sæpe populorum rumpitur, et offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, et servitia populorum præpediuntur, multi et varii dolores prosperitatem regni inficiunt, chororum et liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiarum armentorum et pecorum greges dilacerant, tempestas aeris et hyemis turbata rerum fecunditate maris ministeria prohibent, et aliquando fulminum ictus segetes et arborum flores et pampinos quosque exurunt. Super omnia vero regis injustitia non solum præsentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios suos et nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum ejus dispersit, et propter justitiam David regis lucernam de semine ejus semper in Jerusalem reliquit. Ecce quantum justitia regis sæculo valet, intuentibus perspicue patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura

languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fecunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futura beatitudinis. Attamen sciat rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic et in pœnis, si justitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscunque peccatores sub se in præsentia habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futura habebit.

CAP. VIII. « Et sextus Abusionis gradus est, » qui non solum regi, sed et omnibus, qui dominorum censentur nomine, convenit, « dominus sine virtute : quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ et ipsa sæcularibus dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet. Sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur (I Reg. 11) : qui dum severitate judicii peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam Dominus, velut consentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, et ordinationem, et amorem. Nisi enim ametur dominus pariter et metuatur, ordinatio minime constare illius potest. Per beneficia ergo et affabilitatem procuret ut diligatur, et per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim, nisi bene forte firmetur, et alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet cito labitur, et ipse solutus a rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic et princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, et ipse, et omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant : quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyses namque accepto populi ducatu familiaris Dei locutionibus utebatur (Exod. xxxiii) : Saul vero filius Cis, postquam sceptra regni suscepit, per inobedienciæ superbiam Deum offendit (I Reg. xv). Rex Salomon postquam patris sui David sedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditavit (III Reg. 11). Econtrario vero Jeroboam servus Salomonis, postquam regni domus David occupavit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ attraxit (III Reg. xii). Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem perfectionem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Puer quod utrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem animi, et Dei auxilium posse id facere, et eos qui ad deteriora devertuntur, per mentis imbecillitatem pariter et negligentiam

3. Unde et dominum absque virtute fieri non
 , qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus
 .Qui etenim multa tuctur, si non habet forti-
 em animi, non valet id agere, quoniam magna
 is infestationibus, vel adversitatibus solent
 re. Omnis ergo qui præest hoc primitus animi
 ntionem procuret, ut per omnia de Dei adju-
 omnino non dubitet. Si namque cœperit in
 is suis auxiliatorem habere Dominum domi-
 nullus hominum contemptui poterit habere
 ominatum : *Non enim est potestas nisi a Deo*
 xiii, 1). Ipse enim elevat de stercore egenum,
 ore facit cum principibus populi sui : et de-
 potentes de sede, et exaltat humiles (*Psal.*
Luc. 1), ut subditus fiat omnis mundus Deo,
 at omnis gloria Dei (*I Cor. 11*). »

.IX. Quales sibi adhibere debeat rex consilia-
 ed et illi, qui in principatu positi domini ap-
 tur, Ambrosius in libro Officiorum ostendit
 11, cap. 17) : « Talis, inquit, debet esse qui
 iam alteri dat, ut seipsum formam aliis præ-
 id exemplum bonorum operum, in doctrina,
 egritate, in gravitate : ut sit ejus sermo salu-
 tque irreprehensibilis, consilium utile, vita
 ta, sententia decora. Talis igitur debet esse
 iarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fal-
 ihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam
 ic mores refellat, nihil improbum ac malevo-
 quod avertat consulentes. Alia sunt enim quæ
 atur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ
 nt nocere, quæ malitiose possunt in noxam
 re, ut si is qui consulitur, dubia sit fide, et
 iæ avidus. ut possit pretio mutari, si injurio-
 ic fugitur ac declinatur. Qui vero voluptarius,
 perans, et si alienus a fraude, tamen avarus
 idior lucri turpis, hic contemnitur. (*Cap. 11*).
 anim in cœno fontem requirat? quis e turbida
 potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi in-
 rrantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi
 d hauriendum existimet? Quis non despiciat
 m colluvionem, quis utilem causæ alienæ ju-
 quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum
 bum, malevolum contumeliosum non fugiat,
 nocendum paratum? quis non eum omni stu-
 eclinet? Quis vero quamvis instructum ad con-
 pem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo
 ud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat?
 enim prodest habere sapientiam, si consilium
 .? Si consulendi intercludas copiam, clausisti
 n, ut nec aliis influat, nec tibi prosit. Admi-
 is mihi et suspiciendus consiliarius, quam pro-
 Dominus patribus dedit, offensus abstulit.
 ptius tamen nos justo viro, quam prudenti com-
 mus. Pulchrum est igitur bene velle, et eo lar-
 onsilio ut prosis, non ut noccas. »

. X. A quibus una cum cæteris pravitatibus
 r debeat custodire, et quales comites ac judi-
 ceat constituere, sanctus Augustinus demon-
 dicens : Caveat princeps, ne muneribus vel

A blanditiis cujusquam scolerati pelliciat, vel adu-
 lationibus decipiatur, quia est munus a dato, munus
 a favore, munus ab obsequio. Et ideo debet omnis
 judex cavere ne justum judicium vendat, aut testis
 verum testimonium, aut advocatus justum patro-
 cinium, et jurisperitus verum consilium vendat, ne
 Judæ, qui Christum qui est veritas et justitia ven-
 didit, socius fiat. Et ne quisquam in principatu quo-
 cunque positus adulationibus decipiatur, diligenter
 attendat quod in Regum historia legitur : *Benadab*
fugiens ingressus est civitatem in cubiculum, quod
erat intra cubiculum, dixeruntque ei servi sui : Ecce
audivimus, quod reges domus Israel clementes sint.
Ponimus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos
in capitibus nostris, ut egrediamur ad regem Israel,
forsitan salvabit animas nostras (III Reg. xx, 30,
 31). Quo facto dixerunt ad regem Israel : *Servus*
tuus Benadab dicit : Vivat, oro te, anima mea. Et
ille ait : Si adhuc vivit, frater meus est. Quod acce-
perunt viri pro omine, et festinantes rapuerunt ver-
bum ex ore ejus atque dixerunt : Frater tuus Bena-
dab. Et dixit eis rex Israel : Ille et adducite eum ad
me (ibid., 32, 33). Quo veniente, popigit cum eo
 fædus, dimisit eum. Unde audivit a propheta :
Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua,
erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro
populo ejus (ibid., 42).

CAP. XI. Sed et cavendum est principibus, ne
 sceleratorum amicitias jungantur, vel hujusmodi
 in familiaritate suscipiant. « Malorum, inquit bea-
 tus Gregorius (*Pastor. lib. III, cap. 22*), cum incaute
 amicitias jungimur, culpis ligamur. Unde Josaphat,
 qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de
 Achab regis amicitia peno periturus increpatur.
 Cui a Domino per prophetam dicitur : *Impio præbes*
auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jun-
geris : et idcirco iram quidem Domini merebaris,
sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris
locos de terra Juda (II Par. XIX). Ab illo enim qui
 summe rectus est, eo ipso jam discrepat, quo
 perversorum amicitias vita nostra concordat. Hinc
 David, dum totum se ad fædera pacis æternæ con-
 stringeret, testatur quod cum malis concordiam
 non teneret, dicens : *Nonne qui oderunt te, Deus,*
oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam?
perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi
 (*Psal. cxxxviii, 21, 22*). Inimicos autem Dei per-
 fecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, et
 quod faciunt increpare, mores pravorum premere,
 vitæ prodesse. »

D CAP. XII. Quod rex propter ministerium regium,
 nec quilibet princeps, etiam quibuscunque propin-
 quitatis necessitudinibus conjunctus, contra Deum,
 sanctamque Ecclesiam atque rempublicam perversæ
 agentibus affectu carnali parcere debeat, ex verbis
 Domini dicentis : *Qui non odit patrem suum, et ma-*
trēm, et uxorem, et filios, et fratres et sorores, adhuc
autem et animam suam, non potest meus esse disci-
pulus (Luc. xiv, 26), in homilia Evangelii beatus

Gregorius demonstrat dicens (*hom. 37*) : « Si vim præcepti perpendimus, utrumque per discretionem agere valemus, ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur. Ametur quilibet in hoc mundo etiam adversarius: sed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus, ut eo varius cognoscat Deum, quo in ejus causa neminem recognoscit. »

CAP. XIII. Sicut supra est positum, quod nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare: ita in legibus sacris decretum est, ut leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cum enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere, nulla persona in quocunque ordine excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Oportet enim, ut qui judex est judicum pauperes ad se ingredi permittat, et diligenter inquiret, ne forte illi, qui ab eo constituti sunt, et vicem ejus agere debent in populo, injuste aut negligenter pauperes pati oppressiones permittant, terrorque ejus iniquos comprimat, et benevolos atque indigentes sua auctoritate sublevet. Periculum quippe est cuilibet, officium suum per alios in tantum peragere, ut se ab eo diutius subtrahat. Legimus antiquitus iudices in porta ad judicandum sedisse, ut nullus accedendi difficultatem haberet. Unde beatus Hieronymus in Zachariam prophetam (*cap. 8*) : « Veritatem, inquit, et iudicium pacis iudicate in portis vestris. In iudicio prima sit veritas atque justitia, deinde sequatur misericordia. Quod sequitur, in portis vestris, illi prophético congruit : Oderunt in portis corripientem, et verbum sanctum abominati sunt (*Amos, v*). Et in alio loco : Non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta (*Psal. cxxix*). David quoque iudicabat in portis, quando Abessalon veritatem iudicii repromittens patri tendebat insidias (*II Reg. xix*). Et quæritur, quare apud Judæos in portis locus fuerit iudicandi. Ne cogèrentur agricolæ intrare urbes, et aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos, et in exitu et introitu urbis audirent, et finito negotio unusquisque confestim ad sedes proprias reverteretur. »

CAP. XIV. Qui autem post regem populum regere debent, id est duces et comites, necesse est ut tales instituantur, qui sine periculo ejus qui eos constituit, quos sub se habent cum justitia et æquitate gubernare intelligant, atque cum bona voluntate quod intelligunt adimplere procurent, scientes se ad hoc positos esse, ut plebem salvent et regant, non ut dominantur et affligant : neque ut populum Dei suum æstiment, aut ad suam gloriam sibi illum subjici, quod pertinet ad tyrannidem et iniquam potestatem. Valde enim exigit necessitas, quia rex æquissimo iudici de commissis sibi ministerio ratio-

nem redditurus est, ut etiam singuli qui sub eo sunt ministri diligentissime ab eo inquirentur, et tales constituentur, ne ipse pro eis iudicium incurrat divinum. De oppressionibus pauperum providendum est, quia in eorum afflictione Deus offenditur, sicut Psalmista dixit : *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus (Psal. xi, 6)*. Providendum est ne affligantur in ædificiis superfluis, in exactione hostili, si Deus pacem pro sua misericordia tribuerit, ne contra capitulum domni imperatoris Caroli, ut nemo ad malleum, vel ad placitum cogere venire, nisi scabini et qui causam suam quærit, et cui quæretur.

CAP. XV. Comites et vicarii, vel etiam decani, plurima placita constituent, et si ibi non venerint, compositionem ejus exsolvere faciant. Et quia prius per manninas veniebant, excogitaverunt quidam, ut per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum solverent. Hæc ideo facientes, ut ipsi bannum acciperent, et in tantum exinde affligerentur pauperes, ut unde prius in exercitu plures ire poterant, vix aliqui modo ire prævaleant. Et in his omnibus non solum non solvunt fasciculos secundum Isaiam deprimentes (*Isa. l*), sed etiam superaddunt super miseros et agentes. Quando enim sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt : quando vero per legem non æstiment acquirere, ad capitula confugiunt : sicque interdum fit, ut nec capitula pleniter conserventur, sed pro nihilo habeantur, nec lex, Omnia enim mala lex Veteris Testamenti damnat. Sed Dominus dixit discipulis suis de omnibus Christianis : *Amen dico vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum non intrabitis in regnum cælorum (Matth. v.)*

CAP. XVI. De legibus a quibusdam imperatoribus male constitutis, a quibusdam vero bene constitutis, sanctus Augustinus ab Bonifacium dicit (*epist. 50*) : « Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, et coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, et corriguntur intelligentes. » Et ad Marcellinum de moribus bonis principum, et de republica augenda dicit (*epist. 5*) : « Ex parva, inquit, republica et inopi magnam opulentamque fecerunt qui accepta injuria ignoscere quam persequi malebant. Quomodo Cæsari utique administratori reipublicæ, mores ejus extollens Cicero dicebat (*Orat. pro Lig.*), quod nihil oblivisci soleret nisi injurias. Dicebat enim hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator : sed si laudator, talem Cæsarem noverat ; si autem adulator, talem esse debere ostendebat principem civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat. » Apud veteres namque tale proverbium erat : *Rex eris, si recte facias : si non facias rex non eris.*

CAP. XVII. Regiæ virtutes præcipue duæ sunt,

justitia videlicet et pietas. Verumtamen in regibus plus laudatur pietas : nam justitia per se sine pietate severa est. De rapinis compescendis, et pace restituenda, et sacris Scripturis, ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitu-

tionibus, sufficienter ex synodali conventu apud martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri hujus regis nostri nuper defuncto per episcopos misimus, quæ hic replicare non necessarium, imo superfluum duximus.

XI.

COMMUNI EPISCOPORUM NOMINE

AD REGEM

De coercendo et exstirpando raptu viduarum, puellarum ac sanctimonialium.

(Ad eundem, ex Paralipomenis Joannis Busæi.)

Domino Christianissimo, glorioso et piissimo principi, humiles servi Christi Galliarum et Germaniarum episcopi, pro cultu et sanctimonia domus Domini, quæ est Ecclesia Dei veri, columna et firmamentum veritatis.

CAP. I. Maxima et gravissima necessitate compellimur omnes nos, qui his novissimis et periculosissimis temporibus episcopale ministerium et gubernationem Ecclesiarum Dei, licet indigni et minimi sortiti sumus, ut periclitanti gregi Dominico, et novis insidiis atque infestationibus hostis antiqui de die in diem miserabilius laboranti, communi intentione et studio, in quantum Deus facultatem tribuit, vigilanter et strenue prospiciamus. Quamvis enim potestas regni temporalis divino judicio in hoc Christianorum regno ad præsens videatur divisa, una est tamen in omnibus et ex omnibus Christo Domino protegente Ecclesia, unus Dominus, una fides, unum genus electum regale sacerdotium, una gens sancta, unus populus acquisitionis, quem ipse Dominus et Salvator de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, pro cujus acquisitione et perpetua unitione etiam mortem gustare dignatus est, dicente Evangelio : *Quia Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum (Joan. xi, 51, 52).* Unde et ipse admirabili dignatione loquitur, dicens : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor (Joan. x, 15, 16).* Cum ergo omnis populus Dei, tanto pretio redemptus et adunatus, unus grex sit sub uno pastore, et omnes hujus gregis pastores per unitatem fidei, et unanimam sollicitudinem, tanquam unus pastor existere debeant sub uno et in uno principe pastorum, tanta necesse est sint charitate uniti, tanta spiritus societate copulati, ut invicem onera sua libentissime compartiantur et portent, et sit eis instantia quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum, ut si quid patitur unum membrum, compatiatur omnia membra, sive gratulatur unum membrum, congaudeant omnia membra. Hæc

enim semper sollicitudo in beatis apostolis, hæc in beatorum apostolorum successoribus, id est Ecclesiarum Dei rectoribus, fecit unum gregem Dominicum, unam religionis custodiam, unam matrem Ecclesiam una mente diligere, atque unanimi devotione servare.

CAP. II. Quapropter obsecramus Christianissimam pietatem, et gloriosam sublimitatem vestram, ut religiose regni Dei constitutos ministros, et populi Christiani rectores, et divinæ religionis atque ecclesiasticæ sanctitatis conservatores ac defensores, ut ea quæ pro salute animarum fidelium, et Christiani regni conservatione ac tranquillitate emendanda suggeruntur, cum divini timoris honore et metu futuri judicii audiatis, audita justo judicio examinetis, examinata competenti severitate reseccetis. Nihil enim ita omnipotentis Dei iracundiam exasperat, et regni pacem perturbat, ut contemptus divinæ legis, et conculcatio paternæ auctoritatis, et profanatio ecclesiasticæ munditiei et sanctitatis. Unde adversus impios legis suæ contemptores ipse Deus loquitur, dicens : *Et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego (Ose. iv, 6).* De quibus et alibi scriptum est : *At illi subsannabant nuntios Dei, et parvipendebant sermones ejus, donec ascenderet furor Domini in populum suum, et esset nulla curatio (II Par. xxxvi, 16).* Redeat ergo semper in memoriam lex Dei, nec spernantur ac subsannentur nuntii Dei, sancti videlicet patres antiqui, de quibus ipse Dominus in Evangelio dicit : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit (Luc. x, 16).* Habeat vos sancta mater Ecclesia pios pudicitiae et castimoniam custodes ac defensores. Quæ in tantum ab illa omnipotens Deus exigit, ut terribiliter Apostolus testetur et dicat : *Pacem sequimur cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum (Hebr. xii, 15).* Et iterum : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 16).* Et iterum : *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit (I Cor. vi,*